



Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXLV. Continuatio ejusdem Argumenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

tis, quòd homo secundùm corpus sit lutum, ex quo
formatus est. Unde Ecclesia admonet: *Memento
homo, quia pulvis es, & in pulverem revertēris*: & secun-
dum Animam sit sputum, excrementitio scilicet mul-
tiplicis peccati fætore abominabile. Ideo de homine
nondum lethali frigore rigente, sed tepido Christus
dixit: Apoc. 3. v. 16. *Scio opera tua, quia neque frigidus
es, neque calidus: utinam frigidus essem, aut calidus: sed
quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te
evomere ex ore meo.* Ne tamen hoc lutum & sputum
super oculos positum, per pusillanimitatem, vel de-
sperationem, tandem mentis oculos nimiâ sui diffiden-
tiâ excæcet, ijdem abluendi sunt aquâ, ex piscina Si-
loë haustâ, cuius nominis interpretatio apposita, Chri-
stum à Cœlesti Patre *Missum* designat, oculos mentis
illuminantem undâ Sanguinis (quæ omne peccati spu-
tum abstergit, & auxilia Gratiæ promeretur) atque
boni Exempli ac Cœlestis suæ Doctrinæ Luce lumen
oculorum illustrius reddentem.

M E D I T A T I O CCCXLV.

Continuatio ejusdem Argumenti.

PUNCTUM I. Itaque vicini, & qui viderant eum priùs,
quia mendicus erat, dicebant: Nōnne hic est, qui sedebat,
& mendicabat? Alij dicebant: Quia hic est. Alij autem: Ne-
quaquam; sed similis est ei. Eccl. Joan. 9. v. 8. Dicebant
ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à D E O,
qui Sabbathum non custodit. v. 16. Alij autem dicebant:
Quomodo potest homo peccator haec signa facere? Ibid. Sic
quidam aliorum egregia facta semper enervant, &

T

sinistris

290 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum
sinistris sermonibus res laudabiliter gestas, vituperio
que in dubium, vel in contemptum trahunt. An no-
etiam tu es ex illis? Si reus es, emenda perversum huic
morem; & id potius cura, ut, quia de te quoque di-
potest: *Quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cu-*
cus, & nudus. Apoc. 3. v. 18. vicini & domestici
velut in alium hominem mutatum aspiciant, nempe
velut illuminatum à DEO, Virtutibus divitem, & Gra-
tiā, instar Vestis Nuptialis, vestitum.

PUNCT. II. Responderunt eis parentes eius, & dixe-
runt: *Scimus; Quia hic est filius noster, & quia tacitus natus*
est: quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis ejus
aperuit oculos, nos nescimus: Ipsi sum interrogate, etatem habet,
ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, qua-
niam timuerunt Iudeos. v. 20. Sic datur aliud genus ho-
minum, non quidem male de alijs, sed neque bene
loquentium, quamvis necessitas, veritas, & gratitu-
do istud exigeret; sic respectus humanus claudit on-
laudantium. Unde specialis modus detrahendi ho-
norem alijs est, laudare remissè. Tu syncerè alios
lauda: & gratus agnosce ac prædicta Benefactores tu-
os. Considera etiam, quòd licet communiter non
expedit, ut quis de se loquatur: quando tamen id
cedit in alterius laudem, & de se quis confitetur suam
cæcitatem, vel alios defectus, is de se loquitur, ut
ætatem habens.

PUNCT. III. Dicunt ergo cæco iterum: *Tu quid dicas*
de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: *Quia Pro-*
pheta est. v. 17. & v. 30. Respondit ille homo, & dixit ei:
In hoc enim mirabile est; *Quia vos nescitis, unde sit, & ape-*
ravit meos oculos: scimus autem, quia peccatores DEVS no-
udit: sed si quis DEL cultor est, & Voluntatem ejus facit
ha-

bunc exaudit. *A* sæculo non est auditum , quia quis aperuit oculos cæci nati. *N*isi esset *Hic à DEO* , non posset facere quidquam. Hujusmodi homines imitandi sunt , qui de alijs & honorificè loquuntur , & malè loquenteribus ac sentientibus se audent opponere , Proximique honorem tueri , etiam coram potentioribus , & nocere valentibus. Disce etiam à cæco illo modum efficaciter orandi , & impetrandi omnia à DEO. Si enim vis , ut Devs faciat secundum voluntatem tuam , tu prius exequere Voluntatem DEI.

M E D I T A T I O CCCXLVI.

*Christus Ostium Ovilis , & Pastor
Ovium. Ioan. 10. v. 9.*

PUNCTUM I. *Ego sum Ostium , per me si quis introierit ,
salvabitur : & ingredietur , & egredietur , & pascua in-
veniet. Joan. 10. v. 9.* Quia Judæi propter publicam
Christi Professionem cæcum ab illo sanatum Synago-
gā excluserunt , pessimè id ab illis factum esse Chri-
stus ostendit , eo quòd Professio Christi omnino ne-
cessaria sit , ut quis in Ecclesiam DEI , velut ovis in
ovile intret ; unde Christus se Ostium appellat , per
quod ingredientibus Salus Animæ promittitur ; ad
quam obtainendam Anima per Christum ubique in-
venit sua pascua , sive ingrediatur ad Quietem & Con-
templationem , sive egrediatur ad Operationem &
executionem Boni Operis : sive ingrediatur ad DEVVM ,
sive egrediatur ad Proximum. Considera itaque ,
qualia pascua in Ecclesia , & præsertim in Religiosa Fa-
milia inveniantur , quibus Animæ Vita , & Salus con-
servari ,